
EXCURSUS ad Alcib. II. c. X.

Verba: ὅσῳπερ αν μη προτερον επουριση το της ψυχης, interpretibus multum negotii fecere. Eorum sententias adferre videtur. Steph. scripsisse Platonem putat ὡς ὅπερ αν, et quaedam post ψυχης ad claudendam hanc sententiam addidisse; ita ut haec tantum sint eius principium. Dacier. pro μη legi vult μεν, et γε pro γαρ, pro ψυχης autem τυχης. Quum non locutus sit Plato amplius de ciuitate et animo, non potuisse vocem solam ψυχης repeti putat. Sed quae tandem ratio! Ergo si de duabus rebus scriptor differit, non de vna potest separatim aliquid dicere. Verba autem: επουριση το της τυχης, explicat: *quo magis fortuna adflauerit.* Male fecisse equidem puto Dacier., quod haec verba a superioribus seiunxit: το της ψυχης recte se habet. Si ante ὅσῳπερ intelligatur τοσουτω μαλλον, et vltima periodi verba cum superioribus iungantur, hic sensus loci videtur esse: *idque eo magis, scil. quaerenda haec scientia, quo magis animus non ante vento quasi secundo adspirat studio recte viuendi, quam scientiam illam consecutus.* Το επουριση eleganter conuenit verbis κυβερνητου et πλειν. Ita acutiss. Gottleber.

Celeberr. Schneider contra: „Cornar. in Cod. Mss. inquit, verba μη προτερον omissa inuenit, ideoque delenda censet. Ipse interpretatur hunc locum: *quanto magis impetu fertur, animae nauigium, et subintelligit πλοιον vel ακατιον. επουριζειν autem dicit esse impetu ferri, vento secundo spirante.* Falso. επουριζειν semper dicitur de vento, quando secundus spirat et adflat; deinde metaphoricè de anima seu eius cupiditatibus, quando hominem quasi vento vehementi et secundo ferunt in aliquam rem, ut hoc loco in κτησιν χρηματων κ. τ. λ. Miror neminem vidisse, vi-